



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

14. An si minister Sacramenti petat, ut detur pecunia in pretium illius, &
faciat iurare dantem, ut omnino tali pacto det, possit sine Symonia dari?
Et an in tali casu iurans possit uti ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

usuram. Vt igitur pro puella cooptatione in Monasterium, five in ingressu primo, five in professionis emissione, aliquid accipi possit, necesse est, ut Monasterium aucto numero puellarum jam admissarum, vel quas admittere consilium est, non possit præ egestate itam, de qua agitur, sustentare abique hoc subsidio, quam conditionem dicebam observandam.

2. Non posse autem plus accipi, quàm exigatur ad commodam unius puellæ in tali statu sustentationem, quæ erat conditio altera, rectè asseritur à Navarro *supra*, & à Suarez *cap. illo 17. num. 1. 4. & disp. illa 22. numero 12. necnon à Roderico tom. 2. qq. Reg. quæst. 49. art. 1.* Et ratio est, quia ea sustentatio est solus titulus iustè pacificendi, aut accipiendi occasione ingressus, vel professionis, (quod in hoc negotio eodem recidit.) Si ergo plus aliquid accipitur, non accipitur titulo sustentationis, sed ob admissionem in Religionem, quæ esset vera simonia. Unde simoniacum est plus petere pro aliqua puella, quia est obscuri natalibus, ut Rodericus *supra* rectè notavit. Item quia edificatio novi Monasterij non comprehenditur ambitu sustentationis puellarum primi Monasterij, simoniacum est, à puella admittenda in illud primum Monasterium aliquid exigere ut suppetant sumptus ad novum Monasterium in eadem urbe, aut in alia edificandum, etiam si ipsa non sit in illud novum Monasterium cooptanda. Ad hæc, quia corollarium illud dotis, de quo *supra*, v.g. munus pro sacristia, ægè potest revocari ad sustentationem, periculum est ne pacto de eo munere sit simoniaca. Suarez fanè de *simon. cap. 17. num. 1. 6.* existimat talia dotis superponenda, *Extravag. 1. de simon. percelli excommunicatione ipso facto incurrenda, & Summo Pontifici reservata.* Nam ibi Vibanus IV. præter cetera vetat intuitu ingressus pullæ, quoscumque pastus, seu prandia, pecunias, nempe ad inodum distributionum, jocalia, aut res alias, etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum deputatas, seu deputandas. Quibus verbis excindi videntur munera, verius extorsiones pro sacristia, aut valetudinario, supra dorem exacta ex pacto. Quod tamen ad prandia attinet, non excluditur moderata collatio pro solemnitate juxta consuetudinem, talis enim collatio facile potest ad sustentationem revocari, nec sublata est à Tridentina Synodo *sess. 25. cap. 1. 6. de reformat.* cum sub anathemate vetuit dari quicquam Monasterio præter Novitiæ victum. Quod ergo Vibanus displicuit, fuit fordidos modus extorquendi ea prandia, qui valde improbat, *cap. aud. v. m. 1. cap. sua nos, & cap. quoniam, de simon.* Facile fanè est, ut ex his dotis superponendis, cum non dantur ex pura, & plena benevolentia, putor aliquis simoniacus inhaletur.

3. Hic conveniri velim conscientias Præfectarum Monasterijs, & eorum qui Præfectas, & Monasteria dirigunt, verè ne ob egestatem Monasterij, ad unius puellæ candidatæ sustentationem impotentis, petantur, (verius extorqueantur) præter pinguem dotem, varia præmia, etiam si numerus Monialium, juxta constitutiones, aut habitationis commodæ qualitatem expletus sit, nec de pluribus excipiendis, vel amplificando Monasterio fortè jam satis dilataro cogitetur, an verò ad ingluviem nunquam exsatiandam referenda sit ista petacitas. Quid enim dicemus de quibusdam Monasterijs Regia munificentia ante multa sæcula opulentissimè fundatis, nec modico censu potentibus, in quæ tamen hodiè nulla admittitur puella, quin dotem afferat propè sufficientem ad ejus collocationem in matrimonio natalibus congruente? An Deus maledicit bonis per cupiditatem nulla unquam mole explendam comparatis; ita ut quod Aggæus de fructibus contempto numine comportatis denunciabat, comedentes non essent ex eis satiandi? Non vi-

Tom. V.

detur dubium, quin si decreta Ecclesiastica, de manibus hac in parte servandis planè puris, executioni mandarentur, benigè faceret Deus in bona voluntate sua Cœnobiis, provideretque Antistitis, & alias censibus Cœnobijs administras adeo industrias, ut abique his fœdis negotiationibus fieret pax in virtute Domini, & abundantia in turribus ejus. Considerent, quorum interest. Hucusque Renatus.

4. Sed his non obstantibus negativæ sententiæ adhæreo, quam præter alios tuctur Villalobos in *summa tom. 2. tract. 37. diff. 15. num. 5.* ubi ita asserit. *Aunque el Monasterio sea rico, no se incurre simonia recibiendo algo por el sustento de la Religion, como se dixo arriba del Sacerdote rico, que no incurre simonia por recibir algo por el sustento, pues no es cosa espiritual sino corporal, como dicen Sylve, Aragon, y Ledesma, y dize Suarez, que es espiritual derecho que tiene el Religioso, para sustentarse de los bienes del Convento, y assi que se ha de justificar esto con titulo de necesidad, y que se puede hazer, supues-to que en los Conventos ricos son muchos los gastos, y todos han menester el dia de oy. Mas dize Sylvestro, que quando un Monasterio es rico, y recibe algo por sustentar la Religiosa, ay presumpcion de simonia, y reprehende à las Monjas que enobreviciendose con la riqueza, quanto el Monasterio es mas rico piden mayor dote, y juzgan del estado de la Religion, como del casamento del mundo. Y es notable para esto un texto, que dize assi. Quoniam simoniaca labes adeo plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio accipiat in sorores paupertatis, &c. Tal fin dize; Præcipimus, ut diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant, per suas diœceses publicari. Mas esto no està en uso, y assi me parece que aun en el fuero exterior, es licito, pues todas lo hazen assi con escrituras publicas. Y pueden se excusar en parte las Monjas ricas, porque en aquellos Monasterios se hazen mayores gastos. Sic ille. Vide etiam Hieron. Rodriq. in *comp. qq. Regul. ref. 54. n. 3.* ubi docet opulentiam Monasterij non facere ut quod in paupere non sit simonia, in divite Conventu censeatur, nisi pecunia extra victum pro aliis causis recipiatur, puta quia puella recipienda est vilis conditionis, vel si ad magnitudinem & magnificentiam clariorem Monasterij, actius & superabundans pretium dotis pro ingressu exigatur.*

5. Nec deseras etiam Doctores quos citat, & sequitur Layman *lib. 4. tract. 10. cap. ult. §. 4. n. 39.* excusantes ratione consuetudinis Moniales poscentes dotem, etiam si sint in Monasterijs divitibus.

RESOL. XIV.

An si Minister Sacramenti petat, ut detur pecunia in pretium illius, & faciat jurare dantem, ut omnino tali pacto dei, possit sine simonia dari?

Et an in tali casu jurans possit uti aquivocatione, & restrictione tantum in mente retenta?

Et quid, si Minister petat ut jurare deam aliis?

Et an necessitas recipiendi viaticum homini jam confesso, vel non habenti peccatum mortale sit causa sufficiens ad hoc, ut pro illo recipiendo det pecuniam Ministro nolenti aliter ministrare?

De Confirmatione, & Extrema-unctione in dicto casu non videtur esse eadem ratio.

Et an sit simoniacus, si adultus in extrema necessitate Baptismi constitutus, sibi que persuadeat, quod difficulter sufficientem contritionem habeat, pecuniam offerat Ministro, ad redimendam suam vexationem? Ex p. 11. tr. 6. & Misc. 6. Rel. 32.

§. 1. Hanc questionem pertractat Ioannes Vvigers de *Iust. tract. 7. c. 4. dub. 6. n. 28.* & ait ex Sua-

D d 2 rez,

rez, quod quando talis non amplius urgetur sed simpliciter peteret ut sibi daretur pretium Sacramenti, non per hoc cogit alterum, qui pecuniam dare, dare juxta intentionem petentis, sed posse dare in sustentatione, vel ad tollendum impedimentum baptismi. Quod si autem iniquus ille velit, ut dans profiteatur & juret se dare pecuniam illam in pretium Sacramenti, tunc quidem si ille id faciat in contemptum Sacramenti, & Religionis Catholicae, prout hoc natum est intelligi, cum ex occurrat ratio alia, qua id aliis sic peteret, tunc inquam, ex communi omnium Doctorum sententia nullo modo obsequendum est ejus petitioni, ne extrinsecus quidem, sed potius permittendum, quod infans sine Baptismo moriatur, quia tunc a datione pecuniae est inseparabilis injuria Religionis, quae est intrinsece mala, unde nec committi potest pro spirituali salute proximi. Si vero ponamus, aut fingamus, quod non petat istam declarationem, & juramentum fieri in contemptum Religionis, sed ob aliquam causam privatam, aut extrinsecam, in tali casu vult lib. 9. de just. 6. art. 1. licitum esse dare pecuniam in pretium, & affirmare cum juramento hac intentione dari Fundamentum ejus est, quod existimet emere Sacramentum, non proinde esse intrinsece malum, sicut ipsum vendere, unde putat extremam infantis necessitatem posse emptionem ejus facere.

2. Sed haec opinio tanquam omnino improbabilis à Suarez tom. 1. de Relig. lib. 4. c. 12. n. 16. & aliis rejicitur, quia in primis ista professio ejusmodi dationis, est valde injuriola rebus divinis, & Sacramentis, neque est talis injuria separabilis, etiam si ab iniquo exactore non formaliter intendatur. Deinde fundamentum etiam omnino falsum est, quod scilicet emptio Sacramenti non sit intrinsece mala, quod, vel ex eo colligitur, quo clare D. Thomas q. 100. art. 2. ad 1. dicat, quod nullo modo deberet quis pretium pro Baptismo dare, sed potius absque Baptismo decedere, quod saltem formaliter intellectum debet censei verè à D. Thoma dictum quod scilicet nullo modo liceat per modum emptionis dare pecunias pro Baptismo tanquam pretium ejus: unde etiam Doctores passim omnes supponunt ante omnia, removendam semper esse intentionem emendi Sacramentum, vel dandi pretium pro Sacramento: quod si non possit haberi intentio illa, non poterit quoque exterius dicere, aut jurare, quod illa habeat, nam si juret, committere perjurium: si absque juramento profiteatur se dare tanquam pretium Sacramenti erit mendacium perniciosum, & sacrilegium contra reverentiam debitam Sacramento, inquit Suarez: & ita in specie sic urgendo casum hunc docuit Ioannes Major 4. disp. 5. ad 3. & ex modernis Vgolinus, ab. 1. cap. 6. n. 5. & 8. neque satis video, quomodo ejusmodi declaratio in talibus terminis facta, vel juramentum ipsum justificari possit per amphibologias, aut restrictiones mentales, prout videtur Bonac. tract. de simonia, disp. 1. q. 4. §. 1. n. 4. innuere. In illo itaque casu, addit Suarez, ommittendum erit ipsum Sacramentum. Hucusque Vvigers; Ex quibus ultimis verbis negativè ad casum propositum respondendum videtur.

3. Sed affirmativam sententiam docet Tancredi de Relig. tract. 2. lib. 4. disp. 7. q. 4. asserit enim probabilissimum esse in casu praesentis dubij, jurare cum aequivocatione tantum in mente retenta, verbi gratia, juro me non dare tibi hanc pecuniam ad redimendam vexationem, sed in pretium Sacramenti, & intra se intelligendo, ut tu dicis perversè vel quid simile. Moveor, quia in hac assertione juxta loquentis intentionem, non est mendacium: ergo neque perjurium, nec sacrilegium, ut volebat Suavius, consequentia posito antecedente clara est, & notat Layman agens de mendacio tract. 2. Lessius lib. 2. cap. 4. dub. 9. & passim alij. Antecedens probatur fuscè, & optime à Sanchez lib. 3. sum.

cap. 6. n. 15. & à nobis tract. 4. Probat etiam Navar. in cap. humana aures 2. q. 5. in q. 2. ubi ostendunt non esse mendacium uti verbis ex se non ambiguis, sed facientibus verum sensum, quamvis ex sola additione retenta in mente id fiat: ergo non est perjurium, nec mendacium illo modo uti, certè licet juramentum ex causa justa, & urgente causa, ut docet Sanchez loc. cit. n. 29. cum Navar. supra, ubi ait licere quoties necessarium est, aut utile ad salutem corporis, vel ad honorem familiæ, vel ad quemlibet alium virtutis actum: ergo multò magis ad salutem animæ in tanto periculo procurandam. Quod tamen intelligendum, dummodo id non cedat in injuriam, & irrisionem Sacramenti, ut si minister petat me jurare coram aliis, & ego non possem illis manifestare meam bonam intentionem. Et hæc omnia docet Tancredi ubi supra, qui citat Valentiam tom. 3. disp. 6. q. 16. punct. 3.

4. Et quidem licet novissimè nominatim contra me Them. Hurtadus var. tom. 2. tract. 7. res. 3. cum sequ. quærat, utrum secundum se ea oratio, quæ falsa est sine restrictione mentali, possit esse vera appolita tali restrictione mentali pura, ita ut externo signo neque implicite, neque explicite talis restrictio denotetur, & sic à mendacio, & cordis duplicitate sit libera: prorsus negativè respondeat cum pluribus Doctoribus, quos adducit; tamen non desunt alij præstantissimi Theologi, qui nostræ affirmativæ sententiæ adherent, quos ego alibi citavi, quibus adde Calstrum Palaum tom. 3. tract. 1. 4. disputat. 1. punct. 7. numero 5. in fine, ubi sic ait: Quotiescumque aliqua causa honesta se offert tegendi veritatem, poteris absque peccato uti amphibologico juramento, ut ex allatis exemplis constat, & ea ratione sæpe dicta; quia tale juramentum veritatem, & justitiam habet, & cum utile sit illud præstare, non deficit iudicium. Ex nullo ergo capite vitiosum est. Quapropter, ut bene dicunt Sanchez lib. 3. capite 6. numero 45. Bonacina disputat. 4. de jurament. quest. 1. punct. 12. vers. 7. & alij apud ipsos, etiam si rogans omnem aequivocationem vellet excludere, & ultra juramentum de re facta petat juramentum de calumnia; exigatque juramentum dicendi veritatem sincerè, & absque ulla aequivocatione, adhuc poteris jurare amphibologico juramento, & restrictione facta; Quia subintelligere potes, te juramentum absque aequivocatione injuncta; nulla enim propositio ita amplè sumi potest, quin aliquam restrictionem habere possit in mente. Quod manifestè convincitur in confessione rogato de delictis in confessione auditis, quia ex fessore rogato de delictis in confessione auditis, quia ex tacere tenetur quomodocumque juramentum exigatur. Dari ergo potest aliqua via occultandi veritatem absque mendacio. Ita Palaus. Vnde remanet satis probabilis opinio superius allata docti, & amicissimi Patris Tancredi; qui etiam num. 20. quærit, an necessitas recipiendi Viaticum homini jam confessio, vel non habenti peccatum mortale, sit causa sufficiens ad hoc, ut pro illo recipiendo det pecuniam ministro nolenti figuratè aliter ministrare juxta supradicta; Et affirmative respondet, quod etiam intelligit etiam si iterum sumendum esset Viaticum in eadem infirmitate, quia non debet se privare tanto bono, quantum asserit Sacramentum illud in fine vitæ, quamvis non sumeretur per modum Viatici cum cætemoniis solitis, sed revera infirmus est in mortis periculo, quia militat eadem ratio necessitatis. De aliis verò Sacramentis, nempe Confirmatione, & Extrema unctione, non videtur esse eadem ratio, quando constaret infirmo mortaliter se esse in peccato, & jam recepit Eucharistiam: Contra verò si illam non posset recipere ob infirmitatem, ferè eadem ratio militat; quia hoc Sacramentum magnam asserit utilitatem. Hæc Tancredus, cui ego libenter adhæreo.

Sup. hoc in
Resolutioni-
bus not. seq.

5. Sed si aliquis hic querat, an sit simoniaeum, si adultus in extrema necessitate Baptismi sit constitutus, si bique persuadeat quod difficulter sufficientem contritionem habebit, pecuniam offerat ad redimendam suam vexationem? Et quidem communiter affirmativè respondent Doctores, sed ego negativè sententiæ adhæreo, quam tuetur Valentia, Henricus, Richardus, Major, & alij, quos affert, & sequitur doctus Pater Binsfeldius in cap. 9. de simonia, questione 3. concl. 3. Et ratio est, quoniam etiam adultus in necessitate Baptismi gravissimam habet causam negligendi tunc peccatum alterius, atque procurandi per vexationis redemptionem Baptismum, quamvis qui sic pecuniam recipit simoniam committat. Etenim quis certus esse potest, an veram, & sufficientem contritionem habeat, quæ sine Sacramento ad salutem sufficiat, cum nemo sciat, an amore, an odio dignus sit, & quisquis merito timere debeat de sua dispositione? Atque etiam in hoc casu oblatio pecunie in adulto est vera redemptio vexationis, pro tuendo optimo necessitateque jure, quod Christus concessit omnibus ad Sacramentum salutis necessarium, imò efficax, tutissimumque remedium.

RESOL. XV.

An Musci, qui in Ecclesiis divina Officia canunt, aliquid temporale accipere possint sine labe simoniae?

Et quid de concionatoribus?

Et an sit simonia aliquid tanquam pretium accipere pro labore interno functionis spiritualis?

Et quid pro labore externo, v.g. iter agere unius leuca ad dicendum Sacrum, expectare quotidie per horam, vel aliud tempus ad celebrandum, &c?

Et an ad simoniam pertineat, si quis iudicem Ecclesiasticum inducat pecunia ut iustitiam in causa spirituali administret?

Et quid in causa alias seculari? Ex part. II. tract. 6. & Miss. 6. Ref. 34.

§. 1. IN hoc casu nimis scrupulosè loquitur Ioannes Vvigers de iust. tract. 7. cap. 4. dub. 8. num. 42. ubi sic ait: Difficultas est de cantu Ecclesiastici officij, utrum pro eo possit aliquid temporale accipi. Quidam affirmant, idque ratione scilicet laboris quem ipsi aestimant quasi intinsecum officio divino, quia nimirum possit officium legi sine cantu, aut quia ille cantus videtur reponendus inter spiritualia illa mixta, in quibus temporale prædominetur, sive quæ plus habent de temporali, in quibus licet simpliciter vendere quod temporale est, modò non habeatur ratio spiritualitatis. Indicat hoc de cantu Toletus lib. 5. cap. 86. Suarez, tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 21. num. 15. Verum quandoquidem cantus ille ex munere clericali aut ordine, sive ex officio spirituali adhibeatur in Dei cultum, omnino dicendum videtur nihil pretij pro eo posse dari aut accipi, idque non tantum si Clerici aut Sacerdotes, sive ex officio suo per se canant, sed etiam quando Vicarij nomine, & vice istorum canant; quia actus planè spiritualis est, & ex sua ratione postulans quod virtute Religionis informetur, ut legitime fiat. Neque refert quod officium legi possit sine cantu, quia ut vendibilis non sit, satis est, quod ipse talis cantus per se exigat, ut religiosè exerceatur, & quod ex spirituali principio procedat aut pendeat. Neque convenienter dici videtur quod in cantu Ecclesiastici officij prædominetur temporale, sicuti dici solet de Calice consecrato, cum principaliter ipse cantus adh. beatur, & aestimatur idcirco, quia in eo laudatur Deus, non propter aliud temporale: quare dicetur melius quod Vicarij non

Tom. V.

pro cantu officij Divini, sed pro sua sustentatione accipiant stipendium, ipsa tamen specialis ars cantandi, & singularis vocis suavitas fortitè possent pretio temporali aestimari; quamvis contrarium appareat probabilius, quia nec grata elocutio Concionatoris, neque ars ejus benè dicendi, imò nec prærequisitum studium possunt pretio temporali aestimari & vendi, ut de studio expressè docet Suarez loc. cit. Sed non satis placet quod significat ibidem, nimirum quod Cantores musici conducti, & qui instrumentis musicis ludunt, tantum adhibeantur ad ornandum Divinum officium suis vocibus aut instrumentis, revera per se non exerceant actionem spirituales, neque officium Divinum recipient, aut peragant; quia in primis actus illi & instrumenta sunt idonea, & convenientia ad laudandum Deum, & divinas laudes celebrandas; ut ex scriptura constat, quæ sæpius nos hortatur, ut laudemus Deum in hymnis & canticis, in sono tubæ, in organis, & cymbalis benesonantibus; quidni igitur quando in Ecclesiis, & Oratoriis, ad quæ populus religionis causa convocatur & convenit, dicenda erunt adhiberi, ut in illis Religiosum officium exerceatur. Sanè si tantum adhibeantur ad demulcendas curiosorum aures, non id sine vanitate & culpa fieri posse in tali loco, & in tali conventu existimarem. Accedit quod totum officium, ut Laudes, Vesperæ, & aliæ Preces decantari possint per tales conductos musicos, & musicalia instrumenta; unde si illi non exerceant actionem spirituales, nec officium divinum peragent, consequens videtur quod populus potius censbeatur vocari ad comedos audiendos quam ad audiendum, & interessendum Divinis officiis: quare commonendi sunt ejusmodi cantores ut accipiant temporale titulo sustentationis, aut gratis religionis causa faciant, vel abstineant. Hucusque Vvigers.

2. Ego paucis me expediam, & contra Professore Lovaniensem alium Professore adducam, & is est Ioannes Malderus in 2. 2. de iust. & iur. tract. 9. cap. 3. dub. 6. ad argum. 3. Dico igitur si cantus ex munere Clericali, aut ordine, aut dono spirituali adhibeatur, non licere ejus pretium, sed tantum personæ pacificæ sustentationem. Secus si aliunde ad populi devotionem excitandam adhibeatur; tunc enim non minus licet ejus pretium pacificæ, quam pulsus campanarum, quo homines ad orationem vocantur, & incitantur. Ita ferè Adrianus quodlibet 9. q. 1. ad 3. principale; quamvis ex opinione sua addat, etiam priori modo posse locari operam. Toletus tamen lib. 5. c. 86. cantum Ecclesiasticum ponit cum illis spiritualibus mixtis, in quibus prædominetur temporale, aut quæ plus habeant de temporali, ubi liceat simpliciter vendere quod temporale est, modò non habeatur ratio spiritualis.

3. Sed si querat hic obiter, an sit simonia aliquid tanquam pretium accipere pro labore interno functionis spiritualis? Videtur negativè respondendum, quia labor ille, aut molestia non est in se spiritualis, aut ordinis gratiæ; quamvis enim fatigationem habeat spiritus, ut summè tantum inde dici poterit spiritualis à spiritu humano, quod diximus ad simoniam non sufficere. Deinde habet fatigationem corporis, quam aestimari posse nemo negaverit. Nec obest conjunctio interna cum re spirituali; neque enim ea major est, quam sit auri cum consecratione in Calice, quod tamen vendi potest. Deinde Matth. 10. & Lucæ 10. affirmatur ministrantem in iis rebus spiritualibus dignum esse mercede: non est autem dignus mercede ratione bonorum spiritualium, quæ aliis confert, neque ratione actionis, quam confert, si enim hæc omnia posset sine ullo labore, & temporis diuturnitate conferre, nullam mercedem, pretiumve exigere posset. Ergo est dignus

D d 3

dignus